DISSERTATIO MEDICA DE EPILEPSIA.

Cujus veritatem, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Fano, publicis ſubjiciet diſputationibus,

JOSEPHUS CASELLAS ET GINJAUME, ex oppido vulgò Cervia, apud Hiſpanos in Gotholauniâ, Diœceſis Gerundenſis, Collegii Medicinæ Gerundæ Collega, Philoſophiæ Baccalaureus Univerſitatis Cervariæ, & Medicinæ Monſpelienſis Univerſitatis Alumnus. Pro trimeſtri julii anni 1791.

Ad primam apollinarem lauream conſequendam.



MONSPELII,
Apud J. F. TOURNEL & J. G. TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographos & Bibliopolas.

1791.

ILLUSTRI ADMODUM


GERUNDENSI SENATUI,

Studiorum ſuorum primitias, &c. &c.

Cogitanti mihi, SENATUS AMPLISSIME, cui potiſſimum mea artis medicæ adſerta dicarem, quemque Patronum eligerem, neque quidquam juſtius, neque prudentius, neque cordatius facere poſſe viſum eſt, quam ſi lucubrationes meas, tibi offerrem, teque, SAPIENTISSIME GERUNDENSIS SENATUS, potiſſimum adſciſcerem Mecœnatem. Cum enim propter tua in me, & meos beneficia largè collata non poſſem non ſignificare tibi mei animi gratitudinem, tum pro illa ſingulari humanitate, quam jam tum à puero expertus fui, cùm in iſto Gerundenſi habendi Senatûs loco ampliſſimo me de humanarum litterarum calamitate dicentem benigniſſime audiviſti, mihi locus non relinquitur dubitandi, quin hoc meum, etſi levidenſe, munuſculum ſis libentiſſimo animo ſuſcepturus. Meos igitur hoſce parvi ingenii mei fructus, quos in hoc celeberrimo Monſpelienſi ſcientiarum emporio, ubi ſemper medicina maxime floruit, colligere potui, tibi, GERUNDENSIS SENATUS AMPLISSIME, eâ, qua par eſt, animi demiſſione dico, voveo, conſecro, quos oro, benigne accipias in perenne grati animi monumentum,

Tibi addictiſſimus,

JOSEPHUS CASELLAS ET GINJAUME.



DISSERTATIO MEDICA

DE EPILEPSIA.

---

§. I.

EPILEPSIA adesse dicitur quoties homo subitò prosternitur amissis sensibus internis, externisque, cnm concussu violento, involuntario musculorum omnium, vel aliquorum reciproco alternâ, cùm requie, & novo paroxysmo.

Quamplurimis ab omni ævo insignitus fuit nominibus dirus hìc morbus, qui momento ante sanos homìnes media inter vitæ munera prosternit. Undè non immeritò videtur vocasse *Celsum*, epilepsiam, *morbum sacrum*, vel quia à Diis immissus credebatur morbus, vel quia omne magnum vocatur quandòque sacrum. Morbum *Herculeum* vocavere veteres epilepsiam, quia *Hercules* illo laborasse creditur, vel quod magis conforme videtur uti innuit *Galenus*, ut morbi magnitudinem hôc nomine designarent; fortè etiam & ob curæ difficultatem, & quod *Herculeo* fere robore opus sit, ut miseri ægri paroxysmi tempore contineantur ne sibi ipsis miserrimè noceant. Viros quatuor robustissimos teneram virginem epileptici insultus tempore vix continere potuisse se vidisse refert *Van-Swieten*. *Caducum mor-*

bum vocavit *Paracelſus* quia dùm hôc morbo corripiuntur concidunt ægri. *Sonticum* vocavit *Aul. Gell.* vehementior quia hoc nomine intelligebatur morbus. *Divinum* vocavit *Platonus*, *Comitialem Plinius*, *matrem puerorum Schneideri*, *Analepſiam*, *Riverius.*

§ I I.

Magnâ tamen cum curâ proſequi debet medicus in epilepſiâ dijudicandâ, contingit, quia (& forſan non rarò) improbos homines ſe epilepticos in publicis fingere, ut largas fortè colligant eleemoſinas, & ut ſuis in confabulationibus rideant quod ipſoſmet medicos ſimulato fefellerint morbo. Caſum habuit *Boërhaavius* in nobili juvene, ſed peſſimæ indolis, qui, ſi negarentur à parentibus quæ deſiderabat, fingebat ſtatim hunc morbum: dùm autem vocatus jubebat chirurgo ut candenti ferro pedis pollicem tangeret mox exſilit, & poſtquam novit primo futuro paroxyſmo eſſe cauterium applicandum non amplius auſus fuit morbum fingere. Similem alium refert clar. *Sauvages* de puellâ quâdam, quæ tam appoſitè hunc fingebat morbum, ut nemo in noſocomio generali dolum ſuſpicaretur, quæ quidem interrogata num auram ex manu ad humerum, & indè ad dorſum & femur ſentiret, affirmavit, præſcripſit prædictus verberum uſum quo audito ſanata eſt.

§. I I I.

Accedendum nunc eſt ad varia miraque ſymptomata, quæ in epilepticis obſervantur paroxyſmi tempore. Numeroſiſſima certè hæc ſunt, & cùm maximè varient ratione non ſolum diverſorum ægrotantium, ſed in eodem etiam ægroto, & cùm motus muſcularis theoria hypothetice tantùm declarata ſit, perquam difficilem, & obſcuram eſſe hujus rei cognitionem facile patet. Ea tamen recenſere conabor, quæ ordinariò & frequentiùs obſervantur.

§. I V.

In omnium peſſimâ epilepſiâ abſque ullo præmonente ſigno ſubitò proſternitur homo cum internorum, & externorum ſenſuum abolitione, muſculorumque convulſivâ agitatione. Validum plerique edunt ipſo momento clamorem, cujus nullam conſervant ideam, mirabiles tunc, variæque

convulſiones muſculoſarum partium ſequuntur. Frons, capillataque capitis cutis miro quandòque agitantur modò; eriguntur pili, moventur ſupercilia, deprimuntur & ad ſe mutuò accedunt ſimùl, oculi tunc fixi, tenſi, prominuli ut in iratis apparent. Se vidiſſe refert *Tiſſot* epilepſiæ laborantis fœminæ oculos, viſum irati ſubjecti egregiè repreſentantes. Agitantur palpebræ, & clauduntur plerumque (raro tamen integrè) ſed inter palpebrarum diſtantiam oculi album apparet, palpebraque ſuperior in celerrimo & continuo eſt motu, ſæpè etiam & ſub palpebris ſemi clauſis oculi bulbi magnâ cum velocitate rotantur; undè nonnunquam vitium quoddam in oculis manet, & plurimos obſervamus luſcos & ſtrabones, qui epilepticis convulſionibus in primâ infantiâ tentati, hoc vitium contraxere.

§ V.

Maxilla inferior abducitur nonnunquam tantâ vi ut luxetur antrorſum; & dùm in paupere infante finito paroxyſmo non fuerit reſtituta hæc luxatio, totâ vitâ manſit, qui poſtea multos annos vixit, ſed fatuus, & in noſocomium receptus omnium certè commiſerationem movebat. (*Van-Swieten*, tom. 3, pag. 397). Lingua tunc turgida & elongata ex ore hiante prominet, & niſi adſtantes ſubere, vel alio ſimili corpore molli maxillis interpoſito caveant, convulſivo motu ad ſe adductis maxillis lingua intercepta graviter vulneratur, vel pars ejus integrè abſcinditur. Sat igitur frequenter contingit, paroxyſmi tempore vulnerari linguam à morſu, & tunc horrendo ſpectaculo exit ſanguis unà cùm ſpumâ : tunc dentium ſtridor ingratiſſimus percipitur, & non ſinè horrore recordor, ait *Van-Swieten*, quod in ſat tenerâ puellâ viderim dentium molarium fragmenta cùm impetu exiliiſſe.

§. V I.

Caput miris flectitur modis, riget quandòque collum inflexile, pronum aliquandò incurvatur, ut pectori adhæreſcat maxilla, in aliis retroflexum hæret caput. Juvenem ſe vidiſſe refert *Tiſſot* qui hos inſultus patiebatur frequenter, & per totum paroxyſmum caput in ſiniſtro habebat flexum latere & maxilla in humero fortiter adhærebat.

§. V I I.

Brachia etiam manus & digiti, magnâ cum violentiâ motus exercent flexionis, extenſionis, abductionis, adductionis, rotationis, &c. Fortiſſimè

amen versùs manus volam adduci ſolet pollex, cum plures habeat, & validiores muſculos flexores, & versùs manum adducentes quam reliqui, quam flexionem nonnulli tanquam ſpecificum epilepſiæ characterem habent, cùm tamen in aliis convulſivis morbis ab epilepſiâ diſtinctis nonnunquàm contingat. In cruribus, pedibus, &c. licèt non adeò obſervari poſſint quia veſtibus, plerùmque teguntur, ſimiles tamen eſſe ex eo conſtat quod pedibus validiſſimè calcitrent.

§. V I I I.

Internarum partium agitationem ſimilem eſſe docent ructus, borborygmi, fœcum, urinæ, & ſeminis ſæpè involuntaria expulſio. Vitales actiones quam maximè etiam turbantur : in paroxyſmi enim initio pulſus celeres, parvi, in fine verò majores, ſed languidi ac tardiores. Reſpiratio pariter mirè turbatur, & impeditur nonnunquàm ; in paroxyſmi initio affici ſolent muſculi vocales, nàm omnes cum clamore cadunt, oritur poſteà nixus validus reſpirationis ut in illis quibus ſuffocatio imminet. Omnes tùnc conſpicuæ venæ ut jugulares in collo, raninæ ſub lingua, & præcipuè venæ frontis apparent turgidiſſimæ : incipit tùnc liveſcere facies, imò ferè nigreſcere, in primis circâ palpebram inferiorem ubi laxa admodùm eſt cutis, uti etiam circà labia, ſimili ferè modo ac fit in illis qui in laqueo hærent, ut notat *Van-Swieten* ex *Aretæo* dicens : *malæ rubent quidem, in* » *augmento autem mali & faciei livor accedit, cervicis vaſa diſtenduntur vox* » *ut in ſtrangulatu aufertur : etiamſi vehementer inclames non ſentiunt, eorum* » *vox nihil niſi gemitus & ſuſpirium eſt, & reſpiratio, & ſuffocatio, veluti* » *in iis qui laqueo ſuffocantur.* »

§. I X.

Circà paroxyſmi finem periculoſus adeſt ſtatus dùm ſuffocatio imminet, & ſic quandòque unicus paroxyſmus hominem rapit. Poſt verò ſuffocationem illam imminentem, & ſpumæ expreſſionem ex ore ac naribus, minui incipiunt convulſivi mòtus, liberior fit reſpiratio, ſed ſtertoroſa cùm ſomno profundo ; evigilant deindè ab hoc ſomno, illorum omnium quæ paroxyſmi tempore evenerunt immemores. Senſuum hebetudo, & memoriæ debilitas in multis manet, intra breve tamen tempus per bonum victum, & quietem refocillantur corporis vires, & ſæpè tàm perfecta redit ſanitas ut nullum tanti morbi veſtigium ſuperſit, & poſt aliquod temporis intervallum

(nonnunquàm sat longum) idem malum iisdem symptomatibus stipatum redit, tùncque chronica epilepsia vocabatur ab *Aretæo*; quandò verò unico insultu hominem vel liberat vel perimit tùnc ad acutissimos referebat morbos.

§. X.

Paroxysmorum duratio, & inter binos paroxysmos intervallum, maximè in variis variant. *Barbette* loquitur de puellâ quâdam, quæ symptomata non habebat admodùm vehementia, sed tamen per quatuordecim horarum spatium durabant. Aliis per integram horam; tamen commune axioma est, quod ex raró contingentibus nunquam debent formari regulæ; adeòque communis, & magis frequens duratio est à decem ad viginti minuta. Quoad intervallum, sunt qui semel in anno corripiuntur, alii vere, & autumno; plures singulis mensibus insultum habent; alii qui paroxysmos plures intrà viginti-quatuor horarum spatium patiuntur. Hæc consueta quidem sunt symptomata, sed variè in variis hic se exerit morbus.

§. X I.

Sunt etiam & signa, quæ morbi imprimis habitualis facti, accessum declarant. Hùc pertinent capitis gravitas, vertigo, somnus vel nimius, vel inquietus & insomniis turbatus, horror & tremor totius corporis, frigus extremitatum, tristitia insolita, & anxietas præcordiorum, sensuum internorum & externorum debilitas, & inconsuetæ affectiones, palpitatio cordis, urina cruda, pandiculatio & oscitatio frequens, subsultus tendinum, & convulsiones particulares, appetitus prostratus (*Ludwig*, medic. clin., §. *666*) splendores etiam purpurei, aut nigri ob oculos versantur, ut in cœlo iris prætenta videatur, aures sonant, fœdum odorem sentiunt, iracundi sunt, bilis præter rationem augetur. (*Sauvages* ex *Aretæo*).

DIAGNOSIS.

§. X I I.

Diagnostica itaque signa præsentis epilepsiæ ad hæc bina reduci possunt sensuum nempè abolitionem, & perturbationem motuum muscularium; tùnc enim agitantur musculi convulsivis motibus ab arbitrio mentis minimè pendentibus. Quibus signis distinguitur à *catalepsi* in quo morbo sensus

abolentur quidem, ſed eorpus illum retinet ſitum, quem habebat primo accedentis morbi momento; à *paralyſi* in quâ flaxida immobilitas muſculorum eſt; ab *apoplexiâ* quia in apoplecticis cum abolitione ſenſuum & motuum arbitrariorum adeſt imago profundi & perpetui ſomni abſque convulſivis motibus; à *catocho* ex eo quod in epilepſiâ agitentur partes, & reſpiratio in paroxyſmo ſit frequens, interrupta & ſtertoroſa, &c. &c.

DE CAUSIS.

§. XIII.

Sequitur jam ut dicatur de epilepſiæ cauſis obſervatis. Ex itaque dictis in præcedenti capite patet ingens diverſorum ſymptomatum numerus quibus ſtipari ſolet epilepſia. Undè mirum ferè non videtur, quod morbus tàm horrendis, & tàm variis ſymptomatibus ſtipatus, originem ſuam à cauſis naturalibus majoribus ut diis, dæmonibus, iræ divinæ, incantamentis, aliiſque ſimilibus antiquis temporibus adſcriptam ſæpè fuiſſe. Conſtat tamen certò hunc morbum produci à cauſis talibus, quæ ſenſibus obſervantur, illarumque ablationem morbi curam abſolviſſe, Duplicem itaque diſtinxere medici epilepſiam, *idiopathicam* unam, *ſymptomaticam* alteram. Cùm autem *idiopathicæ* epilepſiæ cauſa in ipſo encephalo hæreat, & cum intrincatiſſimam encephali fabricam adhùc tàm parùm noverimus, & ejuſdem cognitio, & explicatio maxime obſcura ſit, ſufficiet certè ſi obſervationes varias in *idiopathico* & *ſymptomatico* morbo cognitas indicemus, & dijudicemus.

§. XIV.

His itaque poſitis conſideramus in epilepſiâ abeſſe omnes ſenſus internos & externos, ſimùlque eodem tempore fieri agitationes ſummas muſculorùm. Cauſa muſculos movens ab encephalo per nervos derivatur in muſculos; adeòque illo tempore dùm paroxyſmus epilepticus adeſt encephalon motuum muſcularium origo afficitur, ac per conſequens cauſa epilepticum paroxyſmum producens, debet efficere ut medulla encephali in nervorum origines validiſſimas motuum cauſas derivet. Ex quibus omnibus liquido patet morbi hujus cauſam proximam, integram & adæquatam paroxyſmi tempore in eucephalo hærere: undè optimè dixit *Ægineta* quod in encephalo ejuſque ventriculis cauſam conſtitutam habet epilepſia; licet agnoverit & à ventriculo, & ab utero, & ab aliis corporis partibus per conſenſum

ſenſum epilepſiam fieri. Illud enim morboſum in aliis quibuſcumque partibus corporis hærens non producit epilepſiam niſi encephalon affecerit.

§. X V.

Verùm obſervatur quod poſt paroxyſmum epilepticum jam ſedatum, & cùm encephali functiones in integrum ſunt reſtitutæ, manet tamen ejus diathefis ut renovetur paroxyſmus à cauſis talibus, quæ in aliis hominibus hanc diatheſin non habentibus nihil tale producunt. Ira, venus, terror, & alia quamplurima epilepticis novum morbi inſultum adferunt. Remanet ergò in hominibus illis cauſa prædiſponens quæ facit ut tales homines abſente paroxyſmo remaneant obnoxii, ut denuò epilepſiâ corripiantur, ſi huic latenti cauſæ alia occaſionalis ſejunxerit. Adeſt præterea talis nonnunquam in ſenſorio communi diſpoſitio, quæ à levi causâ accedente epilepticum inſultum producit. Sic ſana, & à ſanis parentibus decem annorum nata puella per plures annos epileptica fuit, & primo paroxyſmo correpta fuit, dùm joci gratiâ diù quædam puellæ ſub plantis pedum titillarent, aliis illam immotam vi retinentibus ne intolerabilem ipſi hanc moleſtiam mutato corporis ſitu vitare poſſet. Quid morboſi humoris hic culpari poterat? Quænam læſio capiti contiugerat? Nulla certè; & ſemel turbatum ſenſorium commune, per nervos in extremîs corporis partibus poſitos, retinuit impreſſam talem diatheſim, quæ poſteà ab accedentibus aliis cauſis paroxyſmum epilepticum renovabat. Si enim talis puella titillationis minas tantùm intentare videret aliis mox cadebat epileptica. A levi iracundia, terrore, animi attentione parùm diutiùs protracta redibat novus paroxyſmus. (*Van-Swieten*, tom. 3, pag. 402). Undè diſcimus quam parùm ſæpè requiratur, ut latens illa diatheſis epileptica denuò in actum deducatur.

§. X V I.

Certum eſt tamen ſenſorium commune non æquè firmum eſſe in omnibus hominibus, & in quibuſdam irritari faciliùs quam in aliis. Sic duro labori ab ineunte ætate aſſuetus ruſticus firmum corporis robur habet; dùm molliter educta puella à ſubitò quocumque fragore convellitur. Undè intelligere videtur quare pro diverſa diſpoſitione ſenſorii communis, diverſimode afficiantur homines, & illa quæ omnia in quibuſdam turbant nullam mutationem inducant aliis. Tenera enim & mollis encephali ſtructura in juniotibus obſervatur, quam ob rationem huic morbo magis obnoxii ſunt quam

adulti: videtur enim in illis excedentem magnitudinem encephali, & teneriorem fabricam, facere caufam prædifponentem, quæ levi causâ occafionali accedente epilepfiam producit. Summa ira excandefcens nutrix ubera præbet infanti imprudens, & convellitur illicò. Illa ergò mutatio per validum talem animi affectum in nutricis humoribus nata, non potuit firmius ætate jam fenforium commune turbare, dùm pauculum lactis tenerum, ac mobîle infantis corpufculum tam miferè afficit. Abdominis tormina, gingivarum tenfio, & irritatio dentitionis tempore frequentiffimè infultus epilepticos junioribus inducunt, dùm fæviffimam odontalgiam adulti ferunt abfque epilepfiâ fequente,

§. XVII.

Sequitur jam enumeratio caufarum hujus morbi. In idiopathicâ itaque epilepfiâ, quæ ut-plurimùm fummam capitis gravitatem conjunctam habet ad fequentia potiffimùm attendendum eft. Sunt nimirum: mala capitis conformatio à nativitate, vel partu inducta, læfiones capitis vi illatæ, vel minùs rectè curatæ, cerebrum in tegumentis fuis, fuperficie, fubftantiâ, ventriculis malè affectum per vulnera, abceffus, pus, faniem, lympham acrem, argentum vivum ad cerebrum quacumque viâ delatum, &c. Idem cerebrum malè affectum per inflammationem, corruptionem, erofionem meningum, à feri extravafationibus in ejus ventriculis, à lapillis, offis fragmentis, polypis, &c. quas caufas juvant omnia, quæ liquidorum in cranium affluxum augent, ut plethora, motus, calor, ebrietas, epulæ, venus, & alia. Innumeræ aliæ funt caufæ, quæ in fubtilioribus cerebri partibus occurrere poffunt, & inæqualem fpirituum influxum in organa fenfus, & motus efficere.

§. XVIII.

Symptomaticæ epilepfiæ plures pariter funt caufæ. In infantibus, quibus hic morbus frequentior eft, §. XVI, acrimonia quævis in primis viis nata & hærens, vermes, & dentitio, præcipuè attendi merentur. In adultis interdùm quoque epilepfia à vermibus obfervata fuit: aliæ tamen prætereà recenfendæ funt caufæ. Omnes violentæ affectiones generis nervofi, ut calculus membranaceus partes irritans, venena corpori applicata, in primis morfus animalis venenati, ut morfus tarantulæ, fummus mali hyfterici, & hypocondriaci gradus, interceptio nonnullorum quæ olim excerni folebant,

ut ſanies, pus, menſtrua, lochia, urina, &c. animi affectus & læſa phantaſia, v. g. in veneris ſtimulo, terrore inſigni, præcipué in prædiſpoſitis & ſenſibilioribus.

PROGNOSIS.

§. XIX.

Curationis ut-plurimùm difficilis eſt epilepſia : ſæpiùs nullam curam admittit. Si hæreditaria tanquam incurabilis habita fuit ab omnibus medicis; idiopathica & in primis habitualis facta raró vel difficillimè curatur, ſymptomatica veró curatur ſæpiùs. In infantibus faciliùs eſt ejus curatio quam in adultis; acquiſitum enim corporis, viriumque augmentum, teneritudinem, & mollitiem encephali, & totius generis nervoſi corrigit, eoſque aptos reddit quo cauſis irritantibus magis reſiſtant. Undè *Hippocrates* quandò epilepſia ante pubertatis tempus apparebat ſperabat morbum abiturum, ubi autem poſt vigeſimum-quintum annum invadebat, tùnc ut-plurimùm ad mortem uſque manere inſanabilem monuit.

THERAPÈIA.

§. XX.

Pertractatis illis, quæ ad diagnoſim, cauſas, & prognoſim epilepſiæ ſpectant, ſequitur ut aliqua dicantur de ipſius curatione. Diverſiſſima remedia, diverſiſſimamque curandi methodum ad hunc morbum requiri pro notâ varietate cauſæ, loci, &c. liquido patet. Tanta certè eſt rerum dicendarum copia, ut ſi remedia pro unâquâque causâ epilepſiam producente indiſcriminatim recenſere vellemus dies noctesque opus eſſent : cùm veró brevitati ſtudeamus in aliquibus tantùm immorabimur, & illam quæ magis conformis videbitur curationem pertractabimus, ex quibus reliquæ curandi ſpecies immediatè, vel ſpontè fluant.

§. XXI.

In juniori ætate frequentior occurrit hic morbus, uti antea dictum fuit, à diverſiſſimis tamen cauſis natus. Sic nonnunquàm lac coagulatum ab acido in primis viis hærente epilepticos inſultus producit teneris infantibus, quo in caſu remedia illa, quæ acre illud enervare valent, & talem ſaburram

ſubitò è corpore expellunt optima ſunt antepileptica. Dentes etiam eruptionem tentantes gingivas irritant, inflammant, &c. Ex quibus oritur nonnunquâm inſultus epilepticus, & tùnc illa quæ dentium eruptionem poſſunt facilitare ut chirurgi lanceola gingivam diſſecans optima ſunt antepileptica. Si à veneno aſſumpto, & in ventriculo adhuc hærente hic morbus producitur, patet evidenter illam requiri curam per quam vel expellitur hoc venenum, vèl ſic enervatur, ut amplius nocere nequeat. Si ab interceptis nonnullis, quæ antea excerni ſolebant hic morbus producitur, optimum remedium eſt ut illa intercepta prodeant ex iiſdem locis per quæ antè morbum exire ſolebant. A vermibus productam epilepſiam præmiſsâ purgatione ex pulv. cornachin. & mercur. dulc. parata, ſolo uſu pulv. ſem.)a. curatam vidi.

§. XXII.

Omnium medicorum ſpes in epilepſiâ curandâ tantùm conſiſtit ut magna mutatio inducatur corpori: verùm non determinaverunt quid in epileptico mutandum eſſet ut fieret ſanitas; ſed corporis præſentem conditionem, conantur tantùm mutare in aliam: obſervaverat *Hippocrates* circà pubertatis tempus, quandò miro adeò modo totum corpus mutatur epilepſiam quandoquè ceſſare. Commendavit ideò mutationem regionum, & vivendi generis ad hunc morbum tollendum: *Van-Swieten* ſe vidiſſe ait epilepticos, qui in Indiam orientalem tranſmigraverant, immunes poſtea fuiſſe ab hoc morbo. In aliis etiam corporis mutationibus magnam ponunt ſpem. Sic morbi corpus validè mutantes epilepſiam ſanaſſe ex hiſtoriâ medicâ conſtat. Undè teſtatur *Hippocrates*. Quartanâ laborantes magno morbo non capiuntur, ſi priùs autem capiantur & quartana ſuperveniat, liberantur; quod quidem recentiorum etiam obſervatis confirmatur.

§. XXIII.

Ingentibus atque valentiſſimis medicamentis in morbo comitiali opus eſt, inquit *Aretæus*: undè medici nonnulli, cauſam valentiſſimis remediis corpus turbando, ut fortiſſimis purgantibus, & emeticis delere tentaverunt, non ſemper ut materia morbi expelleretur, ſed ut præſens conditio, quæ morbum fovebat, fortè mutaretur à turbis tantis in corpore excitatis. Antimoniatis & mercurialibus remediis alii ob eamdem cauſam uſi fuere. Mitioribus alii, ſed talibus quæ per totum corpus mirabili vi penetrant. Sic

octenni puellæ decem moſchi gr.â repetitis vicibus pulchro cum ſucceſſu dedit *Vanſwieten* , & per plures dies ſaliva , urina , ſudor moſchum redolebant. Cl. *Maſſa* , Romæ medicinæ profeſſor, vidit decem & octo annorum puellam, bilioſo præditam temperamento , quæ poſt plures acceſſus quotidianæ febris in quotidianos & terribiles epilepſiæ inſultus venit, remediis quamplurimis fruſtra tentatis matutino tempore antequàm acceſſu corriperetur ſequens præſcripſit. ℞ *moſch. g.â x. nitr. antim.* ℈*j extract. camomil. q. ſ. f. bol.* Superbibendo infuſum the : inſultus retardatus fuit ; reiteravit craſtinâ die præſcriptum , & non ampliùs viſus eſt acceſſus.

§. X X I V.

Crato cinnabarim nativam tamquam epilepſiæ magnetem commendat hoc modo exhibitam. ℞ *cinnab. nativ. opt. ſubt. trit.* ℥ß. *corall. rub.* pp. & *marg.* ppãa ℈j *croc. opt.* ℈j. *fol. aur. n°. xx. f. pulv. ſubtil. doſ.* ℈ij. *cum julap. cephal.* Succus rutæ multnm etiam laudatur ad epilepſiam , ideòque ejus extractum iiſdem pollet viribus , & commodiùs ſumi poteſt. Electuarium peruvianum epilepticum *Fullerii* eſt certiſſimum , & præſtantiſſimum antepilepticum, ut experientia me docuit (inquit *Fuller*) poſt debitas evacuationes adultis doſis ſit ʒj mane & vẽſperi per tres vel quatuor menſes , & poſteâ per triduum vel quatriduum ante novilunium & plenilunium.

§. X X V.

Eximiæ vires radicis valerianæ ſylveſtris à *Fabio Columnâ* prædicatæ , & à *Riverio* memoratæ aliorum etiam experientiâ confirmatæ ſunt. Dr. etiam *Marchand* maximè laudat uſum valerianæ ſylveſtris propriis ductus obſervationibus. Primus enim cui talem uſum præſcripſit fuit juvenis 16 annorum, qui à 7°. ætatis anno ſingulis hebdomadibus corripiebatur acceſſu, & ſanatus fuit. Alius 20 annorum unoquoque menſe acceſſum patiebatur dimidiæ horæ, & fuit ſimili modo ſanatus. Homo etiam qui à primis conjugalibus deliciis , epilepticis acceſſibus corripiebatur fruſtrà tentatis quam plurimis remediis uſu radicis valerianæ pulv. & ejus infuſ. liberatus fuit. Infinita legnntur apud auctores obſervata , confirmantia , inter ſpecifica antepileptica palmam præripere valerianam.

§. X X V I.

Aurantiorum folia tamquàm ſpecificum antepilepticum à quamplurimis

celebrantur. Clar. *de Haën* (*part.* 5, *cap.* 4, §. 3. qui circà hanc rem conferri, meretur) loquitur de puellâ decem & octo annorum accessus patientem horrendos, quæ perfectè curata fuit à tali usu. Dr. *Locker* omnia alia specifica rejicit, ille enim dictis foliis æquivalentem non invenit; moderant illæ accessuum violentiam aliquibus; accessus retardant aliis; & quam plurimos denique sanavere. *Hannes* epilepticum infantem prædicto curavit usu, quandò aliis omnibus resistebat morbus. Alia quam plurima recensentur specifica, ut *kina*, *camphora*, *castoreum*, *opium*, *assa fœtida*, *antimonium*, *ongul. alcis*, *cran. human.*, *peon.*, *visc. querc.*, *lumb. terrest.*, *flor. sal. ammon. & ejusdem spiritus*, *diæta lactea*, *vesicatoria* cum maximam seri partem subducant conferunt etiam, &c. quæ omnia sigillatim exponere nimis longum foret.

§. XXVII.

Pitcarnius post vomitorium repetitum, & vesicantia tincturam antepilepticam sequentem laudat. ℞ *rad. valer. sylv. & dictam. alb.* ana ʒvj *castor. & ster. columb.* ana ℥ß *visc. querc.* ℥vj *cinnam. & summitat. ror. marin.* ana ʒß *fol. sen.* ℥ij *jalap. & turpet.* ana ℥ß *infund. frigid. per dies x. in vino alb. gall. lib.* viij *col. ad. pulv. cran. human. & ungul. alc.* ana ʒj *saccar.* ℥iv *cui rite immis. ol. succin.* ℈iiij *spir. cast.* ʒij *dos.* ℥iv.

§. XXVIII.

Boerhaavius contulit primò quod æger vesperè per semi-horam balneum ingrediatur aquæ calidæ ad crura usque; quod partes siccatæ fricentur panno laneo sicco calido, tùnc quod plantæ & dorso pedum applicentur emplastra die nocteque gerenda excepto tempore balnei, ex gum. ammon. bdel. galb. & oxycroc. 2°. Mane & vespere fortis extensio tarsi, interdiu moderata deambulatio. 3°. Bis in mense triduo antè novilunia & plenilunia purgetur haustu, qui recipiat cinnab. g.^{a} x. resin. guajac. g.^{a} v. rhæi ʒß. scammon. g.^{a} vj stib. diaphor. g.^{a} xv. in syr. de cichor. comp. ʒvj & aq.cichor. ℥ij. Iisdem diebus & pridie paroxismi post balneum vespertinum inungantur pedes oleo spicæ. 4°. Cæteris diebus mane bibat jejunus haustum ex infus. theiformi. rad. pæon. valer. sylv. ana ℈ß rutæ recent. ʒij. die vero purgationis hora sexta vespertina paregoricum sumat ex syr. diacod. ʒvj tinct. opii gut. viij in aq. stillat. papav. rhæad.

§. XXIX.

Si ſigna quæ inſultum epilepticum præcedunt obſervantur, tunc ille fortè præcaveri poteſt. Sunt enim qui frigidam auram ex aliqua corporis parte venire ſentiunt & ubi ad præcordia pervenit inſultu ſtatim corripiuntûr, ſed ſi adſtantes ſtrictè ligando illam partem impedire poſſunt illum aſcenſum, impediuntur paroxiſmi uti toties obſervatum fuit. Dubium illud quod haberi poteſt in cognoſcendo epilepſiam an idiopathica ſit, vel ſymptomatica ſolvi fortè poteſt dùm medela adhibetur parti, quæ prima afficitur inſtante paroxiſmo : ſi enim fricando, premendo, vel ligando hanc partem paroxiſmus impeditur vel multum retardatur, tùnc novimus encephalon idiopathice affectum non eſſe, ſed affici à morbi fomite in illo loco hærente. E contra ſi abſque ullo effectu topica talis medela tentata fuerit, tùnc meritò concluditur idiopathicam eſſe epilepſiam. In idiopathicâ etiam epilepſiâ non ſemper ſigna incipientis paroxiſmi in eadem corporis parte obſervantur, ſed in variis, dùm è contrà in ſymptomaticâ epilepſiâ ab eodem corporis loco ſemper primum morbi initium oritur. Adeoque in ſymptomaticâ epilepſiâ deſtructio illius partis ubi initium ſumit paroxiſmus optimum eſt remedium.

§. XXX.

Summà etiam cum curâ inquirat medicus quiſnam locus in corpore obſervetur in quo prima ſigna inſtantis paroxiſmi deprehenduntur, dein accuratè notanda omnia ſymptomata, quæ à paroxiſmi initio ad finem uſque apparent, & quo ordine ſibi mutuo ſuccedant; obſervandum pariter quo anni tempore paroxiſmi frequentiores, vel validiores fuerint, an circà novilunium, vel plenilunium contingant, quid boni, vel mali egeriut conſuetæ evacuationes menſtruorum, hæmorrhoïdum, ſudoris, &c. quid venti, aëris remperies, meteora effecerint in hoc morbo. Indagandum præterea quid fecerint uſus ſex rerum non naturalium geſta, ingeſta, &c. ità toties obſervatum fuit iram, bacchum, venerem, mærorem animi attentionem paroxiſmos induxiſſe.

§. XXXI.

Firmiſſimè credo quod ſi medici omnem animi attentionem hìc adhiberent quam plurimos ſanarent epilepticos, vel ſaltem levamen adferrent. *Galenus* dùm in grammatico juvene paroxiſmum naſci obſervabat, ſi mediam pateretur, bucella panis data tantùm poterat præcavere malum.

Vidisse, aït *Van-Swieten*, epilepticum juvenem, cui antè paroxismum incipiebat tremere labium inferius, & mox cadebat epilepticus, & si paroxismi tempore vomebat brevi finiebatur insultus. Cùm autem singulo mense circa plenilunium morbi insultum pateretur datum fuit vomitorium lene omni mense triduo antè plenilunium & eodem die vespere diacodiatum leve; reliquis diebus roborantibus utebatur remediis, & sex mensium spatio tali usus medelâ, liber evasit à morbo. Alius etiam qui ante paroxismum, dolorificum in cubito dextro sentiebat spasmum, præscripsit. Cel. *Locherus* vesicatorium cubitò applicandum; hoc quamdiù fluxit silebat morbus, qui vesicatorio siccato revertebatur; vesicatorium apertum servavit per mensem, data est interne kinakina cùm camphorâ & æger convaluit.

§. XXXII.

Cum autem ex dictis constet adeò variâ specie hunc morbum apparere, & à tam diversis, & numerosis causis produci, facilè patet non posse ullam generalem curandi methodum statui, sed indicationem curatoriam erui debere ex cognitione causæ morbi, quœ sollicita observatione omnium quæ in singulis ægris occurrunt tantùm haberi potest. Magnam igitur esse debere medici curam in indagandis causis, undè hic morbus ortum ducit facilè patet, cùm unaquaque suam postulet curandi methodum; quod enim uni prodest, sæpe alteri nocet.



ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Universitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA-TIMOTHEUS BAUMES.